



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]**

**Torres, Francisco de**

**Coloniae, 1573**

**VD16 T 1629**

Cap. V. Responso secundùm scriptram, & apostolicu[m] canone[m] ad  
accusationem Magdeburgensium in epist. 2. Sixti de supplicio populi quasi  
iniusto propter laicum, qui vasa sacra tetigit. Item ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29685**

dicerentur: & q̄ cultum voluntariū sine mandato Dei, odiosum Deo esse, contra scripturā, vt do cui, tradunt: & q̄ hunc cultū adspersionis ex aqua & sale sanctificato, ad sanctificandū populū à sanctis Apostolis, qui spiritum Dei habebant, mandatū esse negant. quos planè consuetudo ipsa omniū ecclesiarum, apostolicæ traditionis confirmatrix, redarguit, & in errore versari conuincit. id quod satis clarè idem pont. Alexander significauit, cū dixit, aquā sale conspersam populis benedicimus. Nisi enim eiusmodi ritus iam antea ecclesiæ traditus fuisset, & ab ecclesia receptus, & consuetudine cōfirmatus, nunq̄ sic dixisset, aquam sale conspersam populis benedicimus. quin potius, si ipse primus huius cultūs ac religionis author fuisset, hoc modo dixisset: Statuimus, aut Volumus, siue quo alio simili, vt deinceps aqua sale cōspersa, populis benedicatur. Hoc ergò fecit pont. qd̄ in ecclesia fieri solitū sciebat: idemq̄ in posterū faciendū esse mandauit: id est, vt cōsuetudo à sanctis Apostolis instituta & tradita, seruetur. Sed vos Mag. & cæteri Lutherani, nulla alia instituta aut mādata Apostolorū esse creditis, q̄ que verbis expressa legitis. Quarè apud vos inane verbum est, & omni re subiecta caret, quod Paulus ad Thessalonicenses scripsit, inquit: Itaq̄ fratres, state, & tenete traditiones, quas dedicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostrā: nihil enim est, vobis authoribus, quod per sermonē acceperimus. Si vos à fide Ecclesiæ non excidissetis, non sic existimaretis. Sed quia non statis in fide maiorum, & in eadem regula, sicut Apostolus ad Philip. scripsit, non permanetis, idcirco eorum traditiones non tenetis. Rectè itaq̄ Apostolus dixit: State, & tenete traditiones: qui enim non stat, nō eas tenet. In hoc ergò verum est verbum, quia iidem sunt, qui stant, & qui traditiones tenent: propterea vos non tenetis, quia non statis, sed cecidistis.

Qui traditio-  
nes sine scri-  
pto nō tenent,  
verbis Pauli  
conuincuntur  
cecidisse-  
2. Thes. 2.

Philip. 3.

*Responsio secundum scripturam & apostolicum canonem, ad accusationem Magdeburgensium in epistol. 2. Sixti de supplicio populi quasi iniusto propter laicum, qui vasa sacra tetigit. Item responsio secundum scripturam ad accusationem in epistol. 2. Soteris de sacratis fœminis prohibitis tangere sacra vasa, & ferre incensum ad altare, & quorsum tendat eiusmodi accusatio.*

Cap. 5.

**A**ccusant rursus quòd in epist. Alexandri statutum est de vasis sacris non contrectandis, nisi à sacratis hominibus. Sed quia satis ad hoc superiore volumine responsum est, nec hīc opus est plura dicere, nec eadem repetere, ad illud tantū hīc respondebo, quod hoc etiam loco addiderunt. Accusant enim præterea, quòd in epistol. 2. S. Sixti Pontificis, qui idem statuit, scriptum est de pœna & supplicio eius, qui contrectarit. Sed recitemus sanctionem: Quia, inquit, in hac sancta sede Apostolica à nobis & reliquis Episcopis, cæterisq̄ Domini sacerdotibus statutum est, vt sacra vasa non ab alijs, quàm à sacratis, Dominoq̄ dicatis contrectentur homi-

hominibus: indignum enim valde est, vt sacra Domini vasa, quæcūq; sunt, humanis vsibus seruiant: aut ab alijs, quàm à Domino famulantibus, eis dicatis tractentur viris. deinde subiungit, nè pro talibus præsumptionibus plagam imponat populo suo: & hi etiam, qui non peccauerunt, mala patiuntur, aut pereant: quia perit pius sapiensimè pro impio. Hoc, inquam, Magd. accusarunt, quòd iniustum esse videretur, vt non tantum qui vasa tangeret non sacratus, sed etiam totus populus, qui non tetigit, puniretur. Videtur tamen Magdeburgenses aliquantum profecisse: qui enim prius accusabant, quòd esset in nostra Ecclesia prohibitum, nè sacra vasa à Laicis tangerentur: nunc paulo religiosiores facti, illud iam potius accusant, quòd non is solum, qui vasa attrectarit, cui scilicet attrectare non licebat, puniatur, sed etiam populus, qui non attigit, quasi innocens videatur, cum non sit tamen. Sed cur populus puniatur? nempe quia non satis est non tangere, vt culpa tangendi quis vacet, sed oportet non committere, vt alius tangat, cui non liceat: quod quidem fit sæpè dissimulando, & patienter ferendo, quod minimè dissimulandum est. Comparent ergò Magdeburgenses cum his ea, quæ Apostolus in epist. ad Corinth. priore scribit de supplicio nõ tantum eorum, qui de pane illo viuifico indignè edunt, sed eorum quoq; qui non dant operam, nè id fiat, cum possunt. Idèd ergò, inquit, inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Deinde subiungit: quòd si nosmet ipsos dijudicarem, nõ vtiq; iudicaremur: dum iudicamur autem, à Domino corripimur, nè cum hoc mudo damnemur. Quem locum interpretans in parænesi ad pœnitentiam beatus Pacianus episcopus Barchinonensis, cuius meminit beatus Hieronymus inter ecclesiasticos scriptores, Latere, inquit, peccator, si in hoc seculo aut morte interciperis, aut languore cõsumeris, nè puniaris post seculum: intellige quantum sceleris admittat, qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte dissoluitur. Quòd si vestra vobis vilis est anima, parcite populo, parcite sacerdotibus. Clamat Apostolus, Exiguum fermentum totam massam corrumpit: quid facias tu, propter quem omnis massa corrumpitur? propter quem laboratura est tota fraternitas? Viues tot animarum reus? excusaberis, cum te Ecclesia dixerit suæ cædis authorem? cum tibi cõmunionem suam imputauerint innocentes? Ecce iterum Apostolus ad sacerdotes: Nemini citò manus imposueris, nè communices peccatis alienis. Haftenus Pacianus author grauisissimus & sanctissimus. Item B. Chrysostr. in comment. Psalm. 49. interpretans illum versiculum, Et cum adulteris portionem tuam ponebas, de eo, qui cum indignis ad mensam Domini accedit. *mesita* enim, quam interpretes vertit portionem, vocat Propheta, vt Dionysius quoque vocat particulam, siue portiunculam cœnæ Dominicæ, siue sanctæ Eucharistiæ. Si videris ergò, inquit, aliquem eorum, qui tecum congregantur, fornicantem, & ad sacramenta accedentem, dic ei, qui est minister distributionis eorũ, Hic est indignus sacramentis.

Cur populus  
aliquando ius  
sè puniatur,  
quòd sacra va  
sa à laicis tã  
gantur.

1. Cor. 11.

S. Pacianus.

1. Cor. 5.

2. Tim. 3.

Chrysostr.

Dionys.

tis. arce prophanas manus. Et paulò pòst, papè quantum malum ex eo, q̄  
 celentur atq; obtegantur aliorum putredines, quando dicit eū esse socium  
 luendi pro peccato supplicium. Hæc Chrystostomus. Scio non esse paria  
 peccata, indignè communicare, aut indignè communicantem dissimulare:  
 & laicum sacra vasa tangere, aut dissimulanter ferre tangentem. sed rursùs  
 neq; supplicia erunt paria. Illud modò agitur, vt simili exemplo demon-  
 stremus, propter peccatū, quod alius peccauit, puniri interdū, qui illud  
 quidem non peccauit, non tamen dedit operam, nè id peccati ab alio com-  
 mitteretur, cum posset, & deberet. Sic etiam canone Apostolorum 36. cau-  
 tū est, vt si populus sua nequitia ac prauitate nolit Episcopū recipere, Cle-  
 rus ciuitatis excōmunicetur. Deindè subiungit rationem: Quia, inquit, nō  
 fuerunt Clerici peruditores populi subiectionē detrectantis. Ergò sicut, p-  
 pter peccatum indignè cōmunicantis cōtingit puniri alios, qui ipsi alioquū  
 non indignè communicā runt, & propter peccatum populi recusantis Epi-  
 scopum, contingit puniri Clerum, qui tamē nō recusauit: sic propter pec-  
 catum prophanè tangentis vasa sacra, contingit iustè puniri populum, qui  
 non tetigit. Causam in singulis reddidimus. Repræhendūt præterea Magd. 22  
 quod est in Epist. 2. Soteris prohibitum, nè sacratae fœminæ vel monachæ 22  
 sacra vasa tangant, nec incēsū ad altare deferāt, quæ omnia, inquit Pon-  
 tificex, vituperatione & repræhensione plena esse, nulli rectè sapientiū dubiū  
 est. Sic quoq; vobis visum esset, Magdeburgenfes, si tales essetis, id est, rectè  
 sapientes. Sed quia non rectè sapitis, neq; quicquam honestè & secundū  
 ordinem in Ecclesia Dei fieri vultis, sed omnia potiùs indecorè & pertur-  
 batè ac confusè, idcirco hoc accusatis. Dicite mihi elegātes & sapientes vi-  
 ri, estne honestum & decorum, vt mulieres in Ecclesia doceant? Credo, ne-  
 gabitis, nè verbum Apostoli negare videamini, qui in epistola ad Corin. p̄-  
 cepit, vt mulieres in Ecclesia taceant. Non enim, inquit, permittitur eis lo- 1. Cor. 14.  
 qui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi  
 viros suos interrogent. Etenim si non licet illis loqui in ecclesia, vt discant  
 saltem interrogando, quāto ergò minùs eis liceat ibi docere? Sed rationem  
 Apostoli audiamus: Turpe est enim, inquit, mulieri in ecclesia loqui. Tur-  
 pitudinem rei, causam esse dixit, quam quidem turpitudinem rei naturalè  
 nulla sãctitas, neq; scientia mulieris excusare potest. Vndè rectè Synodus  
 Carthaginensis 4. Apostolū secuta: Mulier, inquit, quanuis docta & sancta, Syno. Carth.  
 in conuentu virorū docere nè præsumat. Quòd si docere mulieres in eccle- ca. 49.  
 sia turpe est, ac proindè graui & necessaria ratiōe eis interdictum: quomo-  
 dō non sit etiam turpe, incensum eas ad altare deferre? An ne igitur mi-  
 nistras altaris esse vultis, vt per gradus ex diaconissis altaris, presbyterissas  
 postea faciamus? Miseros homines, qui tanto odio Ecclesiæ nostræ fla-  
 gratis, ferre incē-  
 sum ad alta-  
 re, fieri eas  
 per gradus vo-  
 cufare

*lunt ex diaconis presbyteris.*  
1. Cor. 14

Num. 16.  
Magd. & carteri Lut. similes Coritis & Rubenitū.

Magd. patrociniū suscipiunt pseudopostolorum.

1. Cor. 14.  
Cur mulieres sacratae siue viduae, siue virgines, non possint esse ministræ altaris.

cusare audeatis. Sed videamus quid apostolus, postquam præcepit, ut mulieres in Ecclesia tacerent, subiūxerit, nè quis existimaret, omne iam decorum in Ecclesia seruari, & omnem turpitudinem vitari, si tantum mulieres in Ecclesia neq; interrogarent discendi causa, neq; doceret: Omnia, inquit, honestè & secundum ordinem fiant in vobis, quasi multa alia superessent, in quibus honestas quoq; seruari, & turpitudinis declinari deberet, cuiusmodi est hoc, ferre mulieres sacratas incensum ad altare, & cætera omnis ministratio, quæ ad altare fit, quod pontifex Soter tam turpe, & tanta vituperatione dignum esse iudicauit, ut vbiq; quæ ea macula adpersa esset, quàm celerrimè posset, hoc apostolicæ traditionis decreto abstergi iuberet. Significat autem fuisse hoc à quibusdam pseudoapostolis introductum, qui se in Apostolos transfigurabant. illud, credo, pseudoapostoli isti dicebant, quod cõtra Moysen illi sacrilegi Coritæ & Rubenitæ, cum Dathan & Abiron, qui incensum in thuribulis sacrilegè obrulerunt: Omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: quid eleuamini super populum? horum vos similes estis. Inter cætera enim, quæ in epistolis pontificum Apostolicorum accusatis, est (vt vestris verbis vtar) distinctio Clericorū, siue spiritualium propter sanctitatem, de qua Clemens in 1. epist. & Telesphorus item in epist. sua agunt, cum tamen (inquitis) omnes pij dicantur sancti in scriptura. Hæc vos, quæ ad illud vestrum dogma, vel potius dicam cõmentum, pertinent, quod traditis, nõ esse sacerdotium verum & externū, id est, non esse aliud sacerdotium, præter sacerdotium ex baptismo, quod fati à nobis scripturæ autoritate suo loco iam confutatū est. Vnde simul intelligi & demonstrari potest, vt est præter cõmune omnium Christianorum sacerdotium ex baptismo, aliud speciale verū & propriū ex ecclesiastica ordinatione à Christo institutum, sic præter cõmunem sanctitatem baptizatorū, esse aliam specialem hierarchicè in Ecclesia ordinatorū. Ergo vt illi pseudoapostoli incensum à mulieribus sacratis ad altare ferri volebant, tanq; ministræ altaris essent, (ita enim viam muniebant ad communicandū cum fœminis sacerdotium) sic vos eodem spiritu, quo illi, agitati, suscepto illorum pseudoapostolorum patrociniū, epistolam Soteris pontificis, quia hoc dixit, accusatis. Sed illud iam valdè ridiculū est, & vobis repugnans, qd cum incensum nullum esse velitis, nec ab vilo ferri ad altare, immò & incensum, & altare, & sacrificium omninò tollatis, nunc accusatis, quòd sacratis fœminis, nè ad altare incensum ferant, prohibeatur. Sed vt huc locū finiam, in ecclesia nostra catholica, quia omnia, sicut Apostolus præcipit, honestè & secundum ordinem fiunt, mulieres sacratae, siue Virgines sint, siue viduae, non possunt esse ministræ altaris. turpe enim est, mulieres viris præesse. Est autè ministrare ad altare, quoddam præesse Laicis, qui ab eo ministerio arcentur: turpe item, discurrere per ecclesiā, quod necesse esset facere ministras. idcirco huiusmodi virgo, siue vidua, nõ ministra altaris est, sed potius tanq; stare quoddam, vt Clemens lib. 3. de constitutu-

stitutionibus apostolicis cap. 6. ait: Altare autē, inquit, non obambulat, aut circuit, sed in vno loco positū ac fixū est. sic illas admonuit apostolica constitutio, perseverandum esse in orationibus, nec esse eis circuncursandū accipiendi gratia, sed magis expectādum, vt offeratur illis velut ad altare: ac multo etiā minūs ministrandū ad altare: altare enim ipsum nō potest fungi officio ministri. Sed hæc hæc tēns. transeamus ad aliud caput accusationis.

*Defensio doctrinæ de delectu ciborum in epistola Telesphori: & explanatio loci epist. 1. ad Timoth. cap. 4. de cibis, quem locum Luterani deprauāt. & de ieiunio ex scripturis: & de fabulis apud Paulum abstinentium olim à cibis, item explanatio loci Pauli de exercitatione corporali ad modicum vtili, ex auctoritate multorum veterum patrum. Cap. 6.*

**A**C de ieiunio, inquit, Telesphori epistola 1. ] Hoc ipsum prius  
distinctiūs adhuc notārant Magdeburgenses cum paucis alijs, quæ  
quia ad caput doctrinæ potius pertinere videbantur, responsionem  
ad ea in hunc librum reseruauit: Recitabo ergo prius proœmium, quo vsi  
sunt isti. Cæterum, inquit, si reliqua ad amussim doctrinæ Prophetarū,  
Christi, & Apostolorum examinantur, ipsa mysterij iniquitatis fundamē-  
ta & insignia inueniuntur, qualia sunt prohibitio cōiugij, Clementis epist.  
2. & quod Euaristus mulierem iubet, si adulterium commisit, viro suo re-  
conciliari, aut remanere innuptam, & prohibitio ciborū, Telesphorus se-  
ptem hebdomadas ante pascha à carne ieiunare præcipit &c. ] Responde-  
bo ad hoc extremū prius, vt ordinem respondendi ad caput de doctrina,  
quod Magdeburgenses separatim composuerunt, seruem. Hic igitur verū  
quoq; est, quod B. Petrus de epistolis B. Pauli scripsit, esse in eis quædā dif-  
ficultia ad intelligendum, quæ indocti & instabiles ad suam perditionē de-  
prauāt, quale est, quod in epist. ad Timotheum priore scriptum est in eos,  
qui cibos tanq̄ natura malos prohibebant. idcirco enim Paulus de eorum  
creatione meminit, dicens, [quos Deus creauit] vt illos statim verbo Do-  
mini confutaret: De Domino enim dixit Moyses: Vidit cuncta, quæ fecerat,  
& erant valdè bona. Prouidens autem scriptura, quia bonum est abstinere  
à cibis in honorē & cultum Dei ad profectum spiritūs, præsertim cūm vē-  
turi essent hæretici, qui contradicerent, vt nunc Magdeburgenses, nè quis  
falsò existimaret sanciri hinc perpetuam ac necessariā adiaphoriam, id est,  
indifferentiam ciborū, non dixit solūm, Quos Deus creauit: sed, Ad perci-  
piendū cum gratiarū actione. Quibus verbis satis significauit ijs, qui intel-  
ligere volunt, percipi quidē aliquandō cibos alioqui bonos, vt à Deo crea-  
tos, nō iustè tñ, nec in Dño: ac proindē non percipi in gratiarū actione: nam  
quod iniustè fit, non potest esse in gratiarū actione. Malum enim non est in  
bono, vt ait apostolica cōstitutio. Hoc ipsum solet scriptura in alijs prouid-  
dere, quibus benè & malè vti cōtingit, vt cū iubet seruis, obedire dominis

2. Pet. 3.  
1. Tim. 4.  
Exponitur hic  
locus quod eo  
abutantur  
Magd. contra  
ciborum delectum.